

12 janvier 1602.

✓ Ill^{mo} et R^{mo} Dño Card. Bellarmino Sal.

Scripsi ad te hoc ipso anno, Illustrissime Sacerdos, homo neque tibi notus neque vero dignus qui noscar, quaecunque de Breviarrii seria emendatione, ad illam diem congesseram. Eiusdem argumenti addo nunc paucula nec contemnenda.

1. Hilarium haereticorum profligatorem, orthodoxiae praesidium propugnatoremque firmissimum quis vero patiatur neque inter praecipuos Ecclesiae doctores adscriptum, neque duplici officio cultum? Divos ineffabili illa et perpetua animorum consensione coniunctos inter se committere, et religio vetat et pietas. Verum si quae ex eis emolumenta nobis provenere, singula librentur et invicem conferantur, profecto nulli cedet Hilarius vel doctrinae pondere, vel exemplo virtutum. Tu, vir eruditissime, qui haec optime nosti, Hilarianum cultum auge ut par est, et promove; ut videlicet divinus Doctor censeatur is qui tot populorum agmina et divino verbo docuit et exemplo.

2. Antonio, cognomini et tutelari meo, Divo illi Magno, quem vel primum vel praecipuum solitudo inhospita complexa est, quaenam Evangelii pars debeatur, Deus ipse non obscuro ostendit argumento, cum iis eum verbis: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes, ad se invitandum et vel per avia eremi sequendum divinitus traxit. Id ipsum itaque Evangelii caput, Athanasio eius discipulo et populari exponente, in hoc festo legatur.

3. Michaelem Archangelum coelitum invictum Principem et divinæ virtutis constantissimum adsertorem, octavarum celebritate carere, id nequidem unquam satis mirari nequaquam possum.

4. Hymnus ille in Dedicatione ecclesiae, ad Laudes, Angularis fundamentum, quaeso te, candidissime Purpureate, e Romani Breviarii angulis finibusque propellatur. ! Huc evasit candor ille pris-

/ cus, sanctus, Romanus His finio. Tu vero eternum vale et salve.

Tuae Ill^{mae} Amplitudinis.

[P.S.] De his ipsis criticis rebus plura dedi ad Antonianum Ill^{mum}
 Ea pleraque cum ad te scriberem, non suppeterent. Ex eo, si lubet,
 5 petas velim. Non quod haec aut alia mea, hoc est obscuri hominis
 scripta, cupiam tanti viri obtutibus oggerere, aut privatae laudis
 quidpiam referre: scit Deus ille non aliam mihi mentem quam ut Ro-
 manae ecclesiae decus et vetus ille splendor, detersa à sacris ri-
 tibus recentium saeculorum rubigine, restituatur. Id profecto quo-
 10 cunque haec mea edantur nomine, adsecuturum me spero. Interim,
 quod egregii è nova hac foetura te obstetricice nascatur, propediem
 expectabimus. Sat scio non nisi magnum quid et laude ac luce dignum
 posse à Romanis Principibus expectari. Vale iterum literatorum co-
 lumen. E rure meo. Prid. Id. Jan. MDCII.

Humillimus cliens.

15 D. Ant. Marianus, Pelignus.

[Rome, Vatic. Lat. 6097, f.283. Autogr.]